

Pax Christi.

Admodum R/de Pater, Heri primum accepi literas, et librum R.V. adversus Casaubonum, et statim perlegi quantum potui, id est ab initio usque ad finem tabulae secundae, nec ulterius progredi mihi permissum fuit, ab iis, quorum negociis inservire cogimur. Miratus sum R.V. tam cito, et tam accurate librum valde bonum conficere potuisse. Si quae sequuntur in reliquis decem tabulis similia sint iis, quae habentur in prioribus duabus, opus omnino bonum operata erit R.V. opus videlicet gratum Deo, et animae Card. Baronii, quam apud Deum mihi vivere persuadent purgatissimi ejus mores; et utile, vel potius necessarium Ecclesiae catholicae. Pergam in legendo, et cum ad extrema pervenero, significabo rem totam sanctissimo Patri Nostro Paulo V. Pontifici, qui sine dubio non parum laetabitur. His ipsis diebus pervenit ad nos integrum opus Casauboni, ad cujus confutationem statim se accinget noster Pater Andreas Eudemon Joannes, quem et nos quantum per occupationes publicas, et privatas licuerit, adjuvabimus. Interim ago R.V. gratias, et me sanctis ejus precibus diligenter commendo. Ignoscat R.V. malis characteribus; malui enim affectum meum demonstrare propriis litteris, quam aliena manu scribens oculos R.V. oblectare.

Romae, die 11. Octobris 1614.

R.V.

frater et servus in X<sup>o</sup>

Robertus Card/lis Bellarminus.

P. Heriberto Rosweydo,  
Antverpian.

---

Bruxelles. Mus. Bolland. Orig. autogr.